354

Paulus episcopus servus servorum dei Venerabili fratri Bernhardo Archiepiscopo Saltzburgensi Salutem et
apostolicam benedictionem. Credimus non latere fraternitatem tuam quemadmodum draco ille poten-
tissimus princeps immanissimus Turcorum tum in fideles debachatur et animosius
animositas crudeliusque in dies christianis stragem agitur, propterea quod nos qui cunctis
in rebus ad divinam pietatem convertendum esse censuimus in lateranensi basilica una cum
venerabilibus fratribus nostris sancte Romane ecclesie Cardinalibus Archiepiscopis episcopis Abbatibus et
aliorum prelatorum curialiumque ordinibus et magna populorum multitudine solemnem
processionem ante latis multorum sanctorum reliquiis summa cum reverentia ac indictis pro
ieiuniis et elemosinis celebravimus, supplices orationes instituentes pro victoria christianorum
adversus ipsos impiissimos Turchos, nec cessamus processiones et preces ad ipsum et
omnipotentem deum continue celebrare facere ac fundere. Et profecto venerabilis frater crede
nobis, res christiana in maximo periculo est nisi occurratur repente, hostis enim
validissimum habet exercitum tum mari tum terra, sititque et appetit [illegible]
christianum sanguinem, unde cum ferociam continue [illegible] et malignetur, opus est
ut et Italia et alie fidelium nationes presto auxilio sint ad [illegible] hanc extinguendam.
Tu autem qui possis et in ecclesia dei dignus prelatus potensque es non debes rem
hanc pretermittere sed eam amplecti et adniti pro viribus atque adesse omni
studio et potentia tua. Velis igitur non cunctari sed iam iam assurgere,
ita cum expediat, pro tuenda re publica christiana, pro victoria fidelium consequenda,
pro gloria salvatoris nostri amplificanda, proque infamia draconis comprimenda.
Cum hoc ut te decet et nos speramus feceris, celebrabunt et eo magis tui ceteri
Principes et potentatus, resque ipsa christianorum successus habebit felicissimos
tuaque fraternitas ex hoc laudem apud mortales, apud deum premium eterne glorie
consequetur. Ceterum desideramus responsum iuxta rei magnitudinem et necessitatem hanc maximam
quod ut facias oramus, quo autem citius feceris eo maiorem nobis consolationem afferes,
in cuius expectatione tenet nos continua et incredibilis sollicitudo. Postremo delatum
est nobis Nigropontum urbem claram fidelium ipsum rabidissimum pestilentissimumque
canem inaudita crudelitate expugnasse, ac pro natura sua crudelissima et innata
feritate solo prorsus equasse, trucidasseque utriusque sexus homines a decennio
supra quoscumque ibi repperierit, rem a seculo inauditam et semper deplorandam, quam
non sine dolore cordis rememoramus, ex quo fit ut ipse canis multo insolentior
et expeditior ad christianorum cladem futurus sit. Ac propterea christiani principes [illegible]
celerius advolare debeant ad compescendum eum nostro opprobrio. Datum Rome apud
Sanctumpetrum, Anno incarnationis dominice Millesimo quadringentesimo septuagesimo
Octavo Idus Septembris Pontificatus nostri Anno Septimo

A. de Volterris